B. N. C
FIRENZE
1018
14

1018. 14

XXIV
CHARP.
1650
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1018
14
1018
1018
14

XXIV
CHARP.

B.

ELOGIVM
CARDINALIS
IVLII MAZARINI
APOLOGETICVM,
SEV
HISTORIÆ GALLICO-MAZARINÆ
COMPENDIVM.

Auctore NICOLAO CHARPY A S. CRVCE,
Status Conſiliario.

SECVNDA EDITIO.

PARISIIS,
E' TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LVIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

ILLVSTRISSIMO
DOMINO
NICOLAO CHARPY
A S^{TA} CRVCE,
CONSILIARIO STATVS.

DIGNATVM me Literario tuo Munere, nimium eſt, quantùm mihi gratuler, VIR CLARISSIME. At enim cùm rationes meas omnes, meque ipſum perdiligenter inſpexerim, nihil omninò occurrit, quod tantum à te iudicij, ac ſtudij polliceri mihi vnquam potuerit. Quare magnæ tuæ indoli tribuendum id humanitatis, ac beneuolentiæ cùm ſit, gratias habeo eò prolixiùs, quod nihil præclari muneris, honoriſque decerpat meritum. At quale Elogium hoc tuum, Deus bone! non tam legiſſe, quàm libaſſe quandam lectiſſimæ eloquentiæ medullam mihi viſus ſum. Preſſum id quidem, peracutum, plenum animæ, ac planè elegantiſſimum, factumque ad vnguem. Nihil non in eo concinnum, reſpondentque aptè membra pulcherrimo totius orationis corpori; cui venuſtas perindè, ac robur; ſuique non modò nerui, & ſuccus; ſed color etiam ineſt. Scilicet, vbi inter ſe ſe illuſtris materia, ac ſtylus conue-

niunt; granditas inde exiſtat, neceſſe eſt, ac quædam etiam dictionis generoſitas, quæ mordeat frænos. Id quod videre in te eſt abundè, ac ſplendidè. Nactus quippè argumentum par calamo, exæquaſti egregiè inclyti MAZARINI laudes, quarum mole, ipſa facundioris, príſcíque æui ingenia laboraſſent: nec ſanè luculentiùs, ac magnificentiùs dixerit Traiano ſuo Plinius. Sed amens profectò ſim, ſi dilaudare pro dignitate lucubrationem hanc tuam velim. Litaueris tu quidem inſigni Elogio MAZARINI gloriæ: elogium tuum non aliud elogium dilaudauerit. Porrò & alius præſtantiſſimi ingenij tui labor Romam nunc vidit: nempè, quam accuratè adornaſti, *Thienæi* noſtri Vita. Vtinam ſcirem Gallicè: voraſſem & hoc etiam Opus, quod ſcio eruditorum hominum iudicio etiam, atque etiam commendari. Vereor, ne in eo concinnando Annales noſtri Ordinis aliquando conſulueris. Pudet nanque, elimatum adeò iudicium incidiſſe in eam ſtyli infantiam: quamquam pergratum id ſit omnibus, expoliuiſſe nempè te Gallicâ dialecto, quod effudit imperitior calamus. Vale, Ornatiſſime NICOLAE, Galliæ curis, ac Muſis: ac fore me officij, affectuſque tui æternùm memorem, ſcias. *Romæ die* 8. *Martij*, 1658.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ

Addictiſſimus, & humiliſſimus ſeruus
N. Clericus Regularis.

REVERENDISSIMO
PATRI N.
CLERICO REGVLARI
TEATINO.

REVERENDISSIME PATER,

ÆGRISSIME *doleo quod ab iiſdem Patribus & Literas tuas ſimul & conſilium acceperim, reticendi nominis tui, quod in limine Elogij mei, tanquam Mineruæ Clypeum, apponendum curaueram; quaſi apud Hiſpanos malè audiat quiſquis benè de* MAZARINO *ſentit aut ſcribit? oderint ergo & vniuerſum orbem, oderint & ſe ipſos qui inuiti: (ſi iuſti ſunt)* MAZARINVM *mirantur. Deleatur ergo nomen tuum è pagina noſtra, quod nulla nec ætas nec inuidia delebit, & è ſtilo tuo noſcant te quantùm poterunt Hiſpani, veritatíque in te quantùm debent, ignoſcant. Cæterùm ſi diligenter rationes tuas inſpexiſſes, iudicium & ſtudium meum in literario meo munere multa tibi pollicentia occurriſſent, ſed ignoras te penè dixerim & me, quem laudibus (tibi ſoli inter Latinos Scriptores debitis) obruis. Ad hoc me nominis tui fama impulit, ad hoc meus erga Clericorum Regularium Ordinem affectus & gratitudo, & denique naturalis in genium tuum propenſio; ita vt te viuacem ac ſolidum, acutum & fortem, concinnum & medullatum, omníque ex parte completum non*

potuerim mirari, quin & ſingulari amore proſequerer. De Opuſculo meo nihil eſt quod dicam, niſi quod in illuſtri materia temeritatem meam, inuitus videaris arguere, cùm omnes CARDINALIS MAZARINI *laudes vno verbo perſtringis, illiuſque gloriæ tantò melius quantò breuius litas, cùm dicis,* illarum mole, ipſa facundioris priſcíque æui ingenia laboraſſent. *Ad meipſum enim, hoc elogio tuo reuerſum, me propriæ imbecillitatis vera ſed ſera cognitio deterret; ita vt in alios humeros, ſi liceret, opus reiicerem. At vide quo me iudicium tuum ducat? quod ſolis viribus meis temerè ſum aggreſſus, nunc approbationi tuæ innixus audacter perſequar, & ſub tanto præcone, infirmitatis meæ immemor, ſecundum* MAZARINI *à reditu Miniſterium exponam. Vtinam cùm te maioribus etiam auſis aptum eſſe non ſit quod dubites, me tanto oneri ſubtrahere non dedignareris, vel in hoc ſaltem manum tuam ſupponere, vt non opprimar. Æquarent materiam, ſcriptoris vires, & dignè* MAZARINI *meritis litaretur. Quidquid ſit me pro conatu meo ſuſtine, & non ſolùm diſcipulum tuum ama, ſed &*

REVERENTIÆ TVÆ

Addictiſſimum, & humiliſſimum ſeruum
NICOLAVM CHARPY A SANCTA CRVCE.

Pariſiis die 2. April. 1658.

POSTERITATI.

TIBI, MIHIQVE,

Quod Virtutem ſine fortuna colentes,
Veritatem ſine ſpe timoreque profitemur.
Tot ſint iſtius Cenſores Operis,
Quot MAZARINI hoſtes?
Vtrumque occultâ ſeueritate lacerent,
Qui publicè in veritatem (quam oderunt)
Latrare non audent.
Magna me gloria manet,
Cùm infinitè meritis diſpares,
Tv pari tuitura ſis æquitate,
Dum videris in cauſa pares.
TE factorum ſuorum Iudicem habebit
MAZARINVS,
EGO, ſcriptorum meorum remuneratricem.

LEGENTI.

GALLIS *gratulor,*
Quos error fallaciter ſeduxerat,
Terror faciliter reduxit,
Fœliciter amor induxit.

Sed VNIVERSIS *ſcribo,*
Vt apud omnes Latio perſeratur Idiomate
Quod pertulit LATII *honos,* HISPANIÆ *onus;*
Quodque de Virtute tulit.

Multorum ora calamoſque
Publica calamitas diu repreſſerat.
Sed malorum ora calamoſque Veritas comprimens,
De MINISTRO *quid boni ſentiant, exprimit.*

Illam, ab adulatione diſcerne,
Licèt Hiſtoriam ſub Elogij nomine ſcriptam cernas:
Nec enim benè de Virtute ſcribitur, niſi laudetur.

Hoc vnum ſcias, velim,
Quod nec muneribus emptum
Impulit me MAZARINVS, *nec contemptum repulit.*
Qui mihi, Solis maculas (ſi quæ ſunt) aliquãdo detegẽti
Daturus es fidem,
Da, & de lumine diſſerenti.

ELOGIVM
CARDINALIS
IVLII MAZARINI.

IN Illo, puerile, viſum nihil, ætatem ſi excipias.
Auguſtam Romam, naſcendo, fecit auguſtiorem,
Et virtutem nomine * ſuo dignam
Quam nunc profitetur, tunc eſt pollicitus.

Cardinalis *Mazarini* natiuitas.

* Iulij Cæſaris.

SVORVM meritis,
Iam ex Sicilia, Galliæ notus & charus,
PROPRIIS
Europæ notior, & Galliæ charior futurus,
Sic inter Nobiles Romanos educatus eſt,
Vt illorum Dux videretur.
Hiſpaniam tranſlatus,
In Literis humanioribus, cæteris palmam abſtulit,
Et docere viſus eſt, potiùs quàm diſcere.
Diſciplinas ad omnes aptus, natus ad ſingulas,
Dum Hiſpanos admiratione ſui raperet,
Illum in partes ſuas rapere tentarunt.
Sed iam inter Hiſpanos GALLVS
Prænuncia voce LEONEM terruit & ſpreuit.
Probitati ſuæ ita coæuus,
Vt dubitatum ſit, an illam diſcendo hauſerit, an naſcendo.

Ex Atauis Sicilianis, qui pro Galliæ partibus occubuerunt.

Adoleſcentia.

Salamancæ ſtuduit.

Illius animum corrumpere voluerunt Hiſpani.

Vniuerſum luſtraturus orbem & illuſtraturus
Vt tantæ Nobilitatis dignus hæres eſſet,
Nobilitatem ex moribus, non ab origine quæſiuit.
Grandior ætate, non animo factus

Militia.

Militiæ adſcriptus eſt,
Vt qui, tot exercitibus, erat imperaturus
Imperandi modum, obediendo diſceret,
Et ex ardore militis, Duciſque moderatione
Genium Miniſtri experientia temperaret.

Negotiationes *Vrbani VIII.* nomine in Italia.

E Caſtris, ad publicas curas vocatus,
Incertum reliquit
An maiorem oſtenderit fortitudinem
Cùm arma ſumpſit, an cùm dimiſit,
Clarus in agendo bello, clariſſimus in ſopiendo futurus.

Proſtantium Gallorum & Hiſpanorum ad prælium
Animos, ſtare iuſſit,
Et amborum pericula in ſe conuertens

Caſalis liberatio.

Caſale hoſtibus & Patriam ſuam bello liberauit.
Gallorum myſteriis ſe initians, cùm Italiæ Miniſter eſſet
Hiſpanorum artes deluſit,
Vt illos Galliæ Miniſter marte collideret.
Vnius imperij rebus, & gloria maior,

Galliæ Miniſter factus.

Cùm Ille Romam, non eius animum Roma impleret
Orbi Gallico ferendo, Athlanti Richelio ſocius factus eſt.

LVDOVICO XIII. commendante purpuram adeptus eſt.
Eiuſque illuſtrata virtutibus, nouo ſplendore refulſit.
Ad hunc amandum, lætus vixerat ARMANDVS,
Cuius ope ſæpius vicerat.
Ad hunc ſibi ſubſtituendum, expiraturus, ſuſpirauit,
Et illi quem laboribus expoſuerat
Gloriam ſuam noſtramque depoſuit.
Sic tranſlati ad ſuperos RICHELII, vt ſucceſſor fieret
Meritis eius debitum erat.
Votis omnium, RICHELII maximè datum eſt,
Vt vno accedente, recedentem alium vix Gallia ſentiret.
In hoc dignus æterno luctu RICHELIVS
Qui talem ſibi ſucceſſorem prouidit,
Quo præſente, non debeat abſentem Gallia lugere.

Imperatur à Rege purpura pro Mazarino.

Richelius ipſum ſibi ſucceſſorem in Miniſterio proponit.

Maximum in Miniſterij pondus
A Rege cuncta ponderante
Dilectus omnibus MAZARINVS electus eſt.
Adfuturum Pater filiis, Regnoque cenſuit
Quem ſibi toties profuiſſe ſenſerat.
Fatigatos populos infatigabili Miniſtro commiſit
Et ſubmiſit,
Regis educandi curam illi imponens,
Qui tanto ſe ſupponens oneri
Non ſolùm ab ortu, Regem inter amãtes cõduceret populos,
Sed ad portum inter amentium ſcopulos deduceret.

In primum Miniſtrum à Ludouico XIII. eligitur.

Imparem Regno componendo non credidit,
Qui parem in Regno non vidit.
Et inter amatos, pacatiſſimoſque Ciues
Fœlicem futurum eſt arbitratus,
Quem inter armatos paratiſſimoſque Hoſtes
Fœliciſſimum expertus fuerat.

In Caſalis liberatione.

Vt æqua lance
Temporales Regni neceſſitates, cum remedio libraret,
Spirituali neceſſitudine Cardinalem filio iunxit
Qui vtrumque liberaret.

Regi *Ludouico XIV.* in baptiſmate nomen dedit.

Sic, Regnaturum Infantem, è ſacris leuauit vndis,
Futuri Regis Regnique fortunam, ſubleuaturus.
Hunc CARDINALEM, debuit habere Patronum PRINCEPS,
Cuius patrociniorum cardini, Gallia inniteretur,
Et à quo Rex nomen acciperet & virtutes.

LVDOVICVS tamen appellatus eſt, non IVLIVS,
Vt hoſtes, Patris nomine terreret,
Dum Patroni, proſterneret conſiliis.
Illi,
Miniſterium Regni commiſit moriens Pater
Cui, Regnaturi Filij commiſerat fidem.
In morituri Regis ore fuit
Quod in omnium votis erat ſubditorum,
Iure dominij, primus elegit,
Quem, in omnium legerat animis, omnes electuros.

Omnium ſpes vt erigeret, cùm regeret fortunam
Omnibus datus eſt,
Duorum Regum, Primus Miniſter IVLIVS,
Qui, cùm multorum mereretur Regnorum Miniſterium,
Noſtræ gloriæ ſe totum mancipauit,
In hoc, propriam meritus, cùm quæreret alienam.
Sic, immaturè ſe raptum, non debuit Pater conqueri,
Nec populus Regem, nec Parentem filius quærere,
Iuſtiſſimum Regem noſtrum, quid rependeret amiſſum?
Niſi MAZARINO iuſtiſſimè noſtra commiſſa fuiſſent.

Principibus placuit & proceribus,
Qui vtroſque aliquando erat placaturus,
Semper, conſeruatoribus Regni amori fuit,
Quia ſatis notus,
Perturbatoribus, nunquam,
Quia notus nimis.

A Duce Aurelianenſi, Principe Condæo defuncto, cæteriſque Regni proceribus approbatus eſt.

Cùm diſceſſum paraſſet, à Regina & Principibus coactus eſt vt ſe totum Regno daret.

Ad Miniſterium tractus,
Regina tutrice vocante, acclamante Regno,
Vrgentibus meritis,
Sic oblatum reiecit, ſic delatum accepit,
Vt neſcias, an laudabilius reieciſſe, an accepiſſe?
Demiſſione ſua, celſior factus,
Dignus REGINÆ viſus eſt quem cogeret ſuis præeſſe conſiliis,
Cùm præeſſe, minus ille cuperet, quàm prodeſſe.

MAZARINVM è limine Miniſterij auferre voluerunt
Qui lumen eius ferre non valebant.
Sed cœlo ferendo, monſtriſque feriendis
Naſcuntur Heroës.

Factio in *Mazarinum*.

Ab Inuidia, nec tolerari potuit, nec vinci.
Seceſſum, quem minabantur hoſtes priuati, appetiit,
Præmia, quæ pollicebantur publici, contempſit.
Omnibus qui terrere voluerant, timendus,
Qui corrumpere, mirandus.

Dux de *Beaufort* in caſtello *de Vincennes* incarceratur.

Episcopus Bellouacenſis in regendo grege occupatus relinquitur.

Præſes de *Barillon* Pinarolium relegatur.

Pacata ſine cæde factione,
Quod multi peccauerant, paucis malè ceſſit;
Statuit, aliquorum exemplo ſtare,
Vt metu pœnæ cæteri, deſiſterent,
Amarentque boni, quem cognouiſſent reis ignouiſſe.

ANNÆ, non ſatis, fuit,
Regias ſollicitudines in Illum transtuliſſe,
Niſi, Regis educationem Illi crederet,
Qui Regem, alios, ſeque ipſum vincere,
Exemplo doceret & verbis.
Sic factus eſt Regis, Regnique tantus creditor,
Vt dignè perſoluendo quod præſtitit Galli ſint impares,
Sola Regis immenſa (quā reſtituit) poteſtas, poſſit exſoluere.

Mareſcallum *de Villeroy*.

Regis mores temperaturus, adiutorem ſibi adſciuit,
Nec minus tamen laborauit, quàm ſi ſolus.

Anguſtiatum Regnum,

Vt Auguſtum redderet, Illi, concreditum eſt,

Et ſpoliatū diuitiis & optimatibus, vt opimis ſpoliis ditaret.

Magnos, magna decent animos, iacetque Virtus cùm latet,

Paucis luſtrorum quatuor trophæis

Annorum quatuor ſpatio, plures triumphos addidit, *

Belli magni finem, magna cum virtute quærens,

Cui principium iuſta neceſſitas dederat:

Sed neceſſitati, vires æquauerat fortitudo,

Itaut, Illi, neceſſariò fauendum putaret fortuna

Cui, neceſſitate indita, bellum erat producendum.

Poſt diuturnum bellum, expulſis Regni Principibus & proceribus, exhauſtis ærariis, Gallia victoriis erat diues, ſed diuitiis ſpoliata, cui tamen periculoſiſſimū bellum erat producēdum.

Niſi Gallia Hiſpaniæ bellum intimaſſet, inaduertens obruebatur.

Immenſam Gallorum ſpem, ſpe maiòr IVLIVS impleuit

Quos vicerat pileo, prælio vicit.

Germanum, Iberum, & Bauarum, ad anguſtias redegit,

Lotharingum, è Lotharingia abegit,

Inſulam Iluam ſubegit,

Catalauniæ conſtituit tranquillitatem,

In Belgio, Galliæ fines ſuos reſtituit,

Nullum ex Confœderatis deſtituit.

Quid plura?

Galliam ipſam vicit, cùm victricem fecit,

Diuinæ mentis conſiliis ſic cuncta diſponens,

Vt omnes irarum motus in Regia componeret,

Cúmque terminum bello antiquo ponere nequiret,

Nouis tantùm poſuit malis, quantùm potuit.

* Adminiſtrāte *Iulio Mazarino*, intra quatuor primos annos multo plures de hoſtibus egit Gallia triumphos, quàm toto *Richelij* tempore egerat.

Sic ſemper in motu, vt illum originem è cælo traxiſſe
Actio teſtetur, puritas probet, frons aperiat, virtus demõſtret.
Sic ſemper ad ſupera tendens,
Sic obſtantia ſuperans,
Vt ignem diceres,
Niſi ad extinguendos ignes miſſum
Europa fateretur, experiretur Gallia.
Ciuicâ, pro ſeruatis ciuibus,
Vt laurea, pro debellatis hoſtibus donandus.

Naturali vrbanitate peregrinitatem deleuit,
Et propter immenſos labores
A Gallia, ciuitate donatus
Se totum Galliæ cum familia donauit.

Cæterùm,
Nullis artibus, nulliuſque damno,
Sed ſola propria ſtetit virtute,
Dei prouidentiæ cuncta committens,
Qui prudentiæ illius, penè cuncta permiſit.
Vixit, vt omnes optimi, cum Illo viuerent,
Vicit, vt omnium vitam tueretur.
Vnde, dum Gallia, ſibi IVLIVM amoris vinculo deuinxit
Vicit.
Nec alium, ei fœlicitatis terminum poſuit Deus
Quàm amoris.

Galliæ fœlicitas ex amore illius in *Mazarinum*, ita ut ad menſuram iſtius illa menſuretur.

Ah!

Ah!

In maximi doloris ſignum exclamatio iſta, ſola ponitur, & ex interrupta fœlicitate Galliæ, interrumpitur Elogij ſcriptura, non textura.

Propter aliquam ab Hemerico oblatam ſtipendiorum partem, ſupremæ C riæ malis omnibus ortum dederunt, multitudine improborum raptæ.

Aliquibus, priuata res, cùm charior eſſet publicâ,
Ne priuata læderetur, publicam colliſère,
Peracto tempori, quod vnius vigilantia fortunatiſſimũ fuerat,
Succeſſit aliud, multorum violentia funeſtiſſimum;
Fortuna Gallos non deſeruit, à Gallis deſerta eſt,
Cùm qui laceſſitos, laſſauerant & vicerant hoſtes,
Seſe ipſos dilacerarent vt vincerentur.
Vbi incepit diſcordia, victoria finem inuenit.

Fundariorum turba ſapientibus vim fecit.

Obcæcatorum turba, duces habuit, veros Themidis filios,
Cùm obcæcatos.
Suſpirantibus bonis, validéque, ſed fruſtra nitentibus,
Improborum præualuit conſpiratio,
Ita-vt ſubditorum gloriæ, ſeu obedientiæ, obliti
Senſim, & verè ſine ſenſu, ad ſupremam authoritatẽ aſpirarẽt,
Exleges facti, cùm factionem legibus prætexebant,
Vt leges ſibi facerent violentas
Quibus à ciuili iure, naturale violaretur.

* Alludit ad primum Parlamenti Pariſienſis Præſidem *Molé*, qui ſemper pro partibus Regiis intrepidus ſtetit, qui cunctando reſtituit rem, & locum dedit reditui Cardinalis, cuius fidelitati, Rex ſigillum ſuum magnum commiſit.

Intereà tota Regij iuris machina, cõtra quã iniuſti moliebãtur
Immobili Iuſtitiæ MOLÉ * conſtitit,
Quam, nec populorum fremitus, in malas artes commouit,
Nec factioſorum ſtrepitus, à partibus dimouit ſuis.
Tali aggere MOLÉque
Debuit tumeſcentis maris inſolentia frangi,
Tali, portus ſecuritas Nauiſque Pariſienſis ſtabiliri

Lutetia pro inſigni Nauem habet.

TANTÆ MOLIS ERAT. *Eneid. 1.*

Reſtitit aliquādiu, ſubreptitiæ, arreptitiæq; legitima poteſtas,
Aut errorem populorum, ratione coërcuit & ſanauit,
Aut furorem ſtultorum exercuit armis & frænauit.
Tandemque tumentes, timore,
Timentes, amore, Principes ſedarunt.
Rediit ad obſequia populus,
Rediit ad populum LVDOVICVS.
Sed heu Gallorum in proſperitate miſeria!
Mixti improbis boni
Improborum conſiliis, ſe immiſcuerunt,
Dumque læſos ſpectabant oculi, & ipſi læſi ſunt.
Virus contagionis in virtutem ſe transfudit,
Vt omnia confunderet;
Et quos, Principes ſub mænibus proſecuti fuerant
Intra mænia ſecuti ſunt:

> In Parlamentum verſi ſunt Dux *Aurelianenſis* & Princeps *Condaus*, & Lutetiam obſidione concluſerunt.
>
> Rex datis conditionibus pacis Lutetiam rediit.

ILLE,
Cui moderato, nihil poterat immoderatius dari,
Qui dum Hiſpanos funderet,
In omnium Gallorum animos ſe infuderat,
Qui bellicas vbique palmas rapuerat, dum paruerat,
Quique certatim, cum Maximo Rege pugnabat,
Cuius eorum videretur maior animus
An ſubditi maxima merētis? an Regis maximè remunerantis?
Hoſtem extraneum cùm non haberet quem non vinceret,
In ſeipſo domeſticum, ſui victorem inuenit:
Fortuna ſua raptus eſt, & corruptus.

> Princeps *Condaus* toti Galliæ charus cum moderatus.
>
> Innumeris à Regina ditatur beneficiis.
>
> Nimia cùm petiit in ſuſpicionem omnibus venit.

Principes Condaeus, de Conty, & Longauillaeus.

Inimici facti ſunt MAZARINO, quorum ſpes inexplebiles
Nec expleuerat, nec explere poterat;
Cùm vnuſquiſque tantum peteret, quãtum vnus dare poſſet.
Memoriam acceptorum cupiditas extinxit, cùm ſpem auxit,
Qui priora ſic acceperant quaſi parandorum arrhas,
Non mercedem patratorum,
Iniuriæ duxerunt plus accipere potuiſſe.
Cúmque Regis amorem non rependere viderentur
Qui ex arbitrio ſuo cuncta pendere volebant,
Ne modeſtia Regentis, Regij iuris cauſam proderet,
Securitati gloriæque Regni, ſeruatura Regina Principes
Secure ſeruandos iuſſit:
Sed propriæ quietis, impatiens Gallus,
Aut bonos putat quos miſeros videt,
Aut bonis & potentibus inuidet.
Non defuère qui vt populum captarent,
In captiuorum partes tranſirent, & Hiſpanorum.*
Quaſi MAZARINI, hoſtis nullus eſſe poſſit, niſi Hiſpanus,
Inſignitia Cardinalis fuere crimina, celeratæ victoriæ,
Sed præcipuè Rethelenſis,
In qua iuſtitiæ retibus, ſagaciſſimi Ducis audacia capta eſt.
Hunc armis victum, Clementia Regis reuinxit,
Et victo, vt inuiderent victores, fecit.
Vltra fidem Regiæ confidentiæ reſtitutus eſt,
Qui extra fidem Regis partes deſtituerat,
Illum demeruiſſe maluit Cardinalis, quàm odiſſe.

* Mareſchallus *de Turenne* exercitũ Germanicum deſerit, milites congregat ſub nomine Locotenentis principum detentorum, & Hiſpanis iungitur.

Expugnatis Bellaguardia & Burdegala, in Cardinalem de Mareſchallo *de Turenne* triumphantem orta eſt ſeditio & furiit.

Mareſchallus *de Turenne* prope *Rethel* victus, tandem reſipuit, & exercitus Regio in Principem *Condaeum* præfectus eſt, mirantibus multis & inuidentibus.

Nunquam inuidia virtute victa eſt, ſed aucta,
Redierat Victor MAZARINVS,
Et vt Illius gloriam inuidi deiicerent,
Gloriæ publicæ curam abiecerunt;
Vetera odia, noua fœlicitas excitauit,
Et Nouitatis fœlicioris ſpes, ſuſcitauit diſſidia:
Emiſſarij, in Vrbes deducti ſunt
Qui Cardinalis merita, inuidioſis rumoribus traducerent,
Potentiam onerarent, honori detraherent,
Spes criminarentur?
Libertatem Principum, inordinatâ libertate,
Omnes ordines petierunt,
Iſtius odio potius, quàm illorum amore.
Violentis precibus, libertas Regis violata eſt,
Authoritas, (ſub MAZARINI nomine) contempta,
Et peiori omine Maieſtas obliterata.
Nec alius ſedādorum fluctuū modus, niſi cedat MAZARINVS,
Illi redeant, Iſte exeat.
Fœlicitati ſuæ, quàm facilitati ad pacem, detrahi maluit.
Furori ceſſit oppreſſus, dum mitiùs exiit,
Vt furentes, rediens, fortiùs comprimeret.
Ne verò receſſus infra dignitatem eſſet,
Libertatis Principum aſſertor, hoſtiū obſeruator eſſe voluit.
Contempſerunt Principes præſentem
Quem nimium præſentem ſenſerunt Hiſpani,
Non fugit, ſed in hoſtes iuit.

Publicæ in *Mazarinum* querelæ.

Libertas Principum petitur à tribus regni ordinibus Eccleſia, Nobilitate, & Magiſtratibus.

Armatis ciuibus Rex quodammodo captiuus in Palatio Richeliano detinebatur, & à violenter petentibus cogebatur.

Cardinalis nocte exiit vt abſentia ſua, pacem Regno, & Regi libertatem pareret. Principes adiit, ex parteque Regis & Reginæ libertatem eis aſſeruit.

In confinia Regni receſſit, vt hoſtiles motus facilius obſeruaret.

Nec hoſpitem Galli, nec vicinum Hiſpani ferre poterant.

Verùm accepta libertas in omnium ſeruitutem verſa eſt.

Princeps Condæus exigit à Regina vt ex Regis Conſilio tollat Miniſtrum Comitem de Seruien, Secretarium Status le Tellier, & ipſius Reginæ à Secretis de Lionne, Seruientis Nepotem.

Cùm Rex ceſſit, & paſſus eſt Miniſtri ſeceſſum ſui
Maximani temeritati conceſſit viam.
Vt commodiùs tacitis Maieſtas peteretur ictibus
Nullus fuit apertis petitionibus modus.
Dum MAZARINI pręſentia Hiſpanorum frenabat audaciam,
Abſentia, Gallorum peruicaciam augebat.
Eadem vi, qua MAZARINVM ab oculis Regis auulſerant
A Corde Regis conati ſunt auellere.

Tota videbatur in partes Condæi tranſitura Gallia, niſi ſe Hiſpanis iunxiſſet: non eſt enim conuentio lucis ad tenebras.

Conqueſti ſunt, Illum de publicis rebus in Gallia diſponere
Dum extra Galliam priuatas componere videretur.
In Regiũ Conſiliũ ruerũt, vt ſine auxilio REGINA obrueretur.
Ne illos configeret, TELIS eam exarmatunt,
Et ne illorum fugeret ictus
Fidorum ſibi SERVIENTIVM denudarunt ſcuto,
Vt in Galliæ dedecus DOMINA ſeruiret.
Iniquior videbatur conditio Regis
Qui iniurias ſuas publicæ condonabat quieti,
Quàm qui proprias, commodis alienis anteponebat.

** Poterat verſiculus fluidior fieri, ſed ad explicandum horrorem iuncta ſunt verba error terror & horror, ſic ad ſtuporem factus eſt hiatus. Regina &c.*

Princeps Condæus in Aquitaniam & Andegauenſem Prouinciam ſecedit, & ibi exercitum conflat.

ILLE, qui regni fines debellatis hoſtibus dilatauerat
Latenter hoſtium affinis factus eſt,
Errorem cum terrore ſciuit Regina & horruit*.
Iunxiſſe palmas cum Hiſpanis,
Qui tot de Hiſpanis palmas reportarat.
Tantóque minus factum creditum eſt,
Quantò minus faciendum putabatur.

Sedem Regiam, Rex ſolam & deſolandam reliquit,
Vt celeri auxilio rebellium conſilia anteuerteret.
Quocunque iuit, etiam non videns vicit.
Nunquam contra Regem vicit, qui ſemper pro Rege vicerat.
Vt omnibus exemplo fieret,
Non viris ſed cauſæ, victoriam dari:
Victoriâ derelictus, Victos dereliquit.
Et qui à Iudicibus reus inuentus fuerat,
Ad Iudices quaſi Dominus aduenit;
Et ſic nouo crimine primum diluens,
Iuſtitiam in compedes miſit.
Vt Iudices (qui nimium ſibi permiſerant)
Et ſui, & aliorum erroris, luerent pœnas.
Commotâ ſuſque deque ciuitate
Lancem in lanceam commutarunt,
Itavt & in Roſtris & in Caſtris
Vtraque permixtim vtentes, vtraque abuterentur.
Vera ſeruitute, falſam libertatem adepti,
Nunquam minus ſupremi, quàm cùm à ſupremo diuiſi.
Et in delicti pœnam ſibi-ipſis derelicti,
Optimus etiam Princeps factionis veneno infectus eſt,
Et cùm Mazarini ſibi videretur hoſtis,
Omnibus viſus eſt Regis.
Vitium hoc fuit temporis, non perſonæ,
Cùm perſonata illum ſeducens inuidia
Vt in partes ſuas adduceret, Ducem fecit.

Rex Lutetiâ egreditur, & inſequitur *Condaeum*.

Comes *de Harcourt* Magnus Franciæ Hyparchus Regiis copiis prælicitur In Aquitania, & ſececiis copias *Condaei* cædit & fugat.

Condaeus Aquitaniam incognitus deſerit, & venit Lutetiam.

Parlamentum ingreditur cum *Aurelianenſi* Duce, maximo ſtipatus militum & nobilium numero.

Fundarij Senatus nec Senatores nec milites agebant, ſed ſub falſo ſupremæ authoritatis nomine deludebantur, & *Condaeo* ſeruiebant.

Dux *Aurelianenſis* odio *Mazarini* in *Condai* partes tranſit.

Condaeus ſe illi ſubditum fingit, vt verè imperet.

Abſentem, citò planxere, boni MAZARINVM,
Cùm ſibi mala, nimium ſenſere præſentia;
Sed inter malos, creſcentibus malis, creuit furor,
In MAZARINVM verſus eſt,
Et ne in peruerſos, aliquando reuerſus, ſæuiret,
(Cùm omnia ſibi permiſſa facerent,)
Quidquid ſiniſtri in Miniſtrum committi potuit,
Nullus inimicorum omiſit.

> Effrænata licentia libellorum & calumniæ in *Mazarinum*, ita vt nomen illud plebi factum eſſet ludibrio, & iniuriæ loco.

Cùm nocentes ſe noſcerent, ignoſcere noluerunt innocenti,
Vitam Cardinalis, pretio æſtimarunt,
Iniqui tantæ rei æſtimatores,
Vbi enim inuenerant res diuinas in commercium venire?

> Lata eſt in vitam Cardinalis ſententia, & parricidæ promiſſi ſunt quinquaginta millia nummorum argenti, ex venditione Bibliothecæ *Mazarinæ*, quam vſui publico ſacrarat, eliciendi.

Sed qui in viuum ſæuire non poterant
Sæuierunt in mortuos;
Et librorum ærarium publicum, liberè dilapidati
(Filij proterui & contumaces) lapidibus obrui meruerunt;
Qui non tàm MAZARINI quàm omnium diſpendio
Theſaurum quem è ſuo, noſtrum fecerat
Auſu ſacrilego exhauſerunt,
Vtque antiquorum ſpoliis ſe onerarent,
Nouo ſe onerarunt crimine.
Hoc Galliæ dedecus fuit, non Cardinalis.
Quædam potuit error facere,
Sed iſtud quid niſi furor?

> Inaudito auſu in Gallia, vita Miniſtri Cardinalis pretio eſt æſtimata.

> Alludit ad legem datam populo Deut. 21. v. 20. 21. *Si quis genuerit filium contumacem & proteruum* (& poſtea) *lapidibus eum obruet populus ciuitatis.*

> Venditione & ſubhaſtatione publica diſperſa ſunt 100000. Volumina.

Seditioſo

Seditioſo turbine Regia, regníq; dignitas titubare videbatur.
Et tamdiu dilata, rapi bellorum corona,
Cùm inter victoriæ ſocios Pax diriperetur.
Tanti Myſterij, Cardinalis Miniſterium,
Tumidorum auiditas, & inuidia timidorum
Fecere Argumentum;
Vt omnibus in poſterum documento eſſet,
Malis, etiam optima, nocumento eſſe.
Eccleſiæ Principem ſapientiſſimum,
Vt minus ſapere probarent,
Inſipientes ſibi ipſis, & probis omnibus facti ſunt,
Iudicij potiùs, quàm verecundiæ præiudicium paſſi.
Nihil intentatum reliquerunt
Vt infinitorum morte, vitæ vnius attentarent.
Ea eſt enim MAZARINI cum Gallia vnitas,
Vt ille non poſſit lædi, quin Galliæ fœlicitas collidatur,
Eludatur iuſtitia.
Inuidiæ virus, vires addidit fortunæ,
Eò plus emicare viſa eſt in eo virtus,
Quò plus cum illa calumnia dimicauit,
Dum enim inſectabantur illum hoſtes domeſtici,
Tanquam reum & publicæ infenſum tranquillitati,
Infauſtos Galliæ, & publicos quietis hoſtes, verè rei ſectabãtur.
Eòque miſeriæ ventum eſt,
Vt reditum (Regi, à Clero petitum *) ſi pararet,
Omnis generis hoſtibus in Regem, aditum aperirent.

Pax eliminabatur, cùm Dux *Aurelianenſis* & *Condæus* à Rege diuiſi placitis eius aduerſabantur.

Falſum factionis argumentum.

Veræ duæ cauſæ factionis.

* Inſtãte Epiſcopo Conſtantienſi & Clerum inuitis Principibus mouente.

Abbas *de Chamuallon* Cleri nomine apud Regem pro *Cardinalis* reditu orauit.

Qui *Mazarinum* quietis publicæ perturbatorem dicebant, omnia perturbabant, Hiſpanos etiam in Regni viſcera introducturi.

Audiit MAZARINVS, & gloriam ſuam duxit,
Apud hoſtes regios traduci, & malè audire.
Qui probos tantùm approbat,
Iniuriam à cæteris, non ſibi factam, ſed virtuti credidit.
Intereà pereuntibus pacis artibus, Martem voluit experiri.
Non vt imperantis more milites duceret,
Sed vt parentis amore reducere tentaret rebelles;
Qui enim exiens, Regni non fuerat conciliator,
Rediens debuit, Regis auxiliator fieri.
Ingreſſus eſt regnum vt cum Regis hoſtibus congrederetur.
Sed nec eius audentia fecit, vt illum aggrederetur hoſtis,
Nec inuidorũ peruicacia quin MAZARINVS progrederetur.
Vix ad Regem incedebat
Cùm integra in Regis partes acceſſit fortuna;
Et quia apud illum, omnis lenta victoria, vilis fuit,
Præceps in hoſtes ruit, ne palmam facerent hoſtes ancipitem.
Multorum loco ſuis fuit, qui multorum vices egit,
Vires ſuperauit.
Et Dei more vbique præſens,
Hoſtibus viſus eſt exercitum ſolus componere,
Qui de victoria diſponere non dubitauit.
Hoſti terrori fuit, quod tam audacter illum contemneret,
Nobis, quod tam cauſæ fideret ſuæ,
Vt de auſis improbis hoſtium non diffideret.
Paucis ſtipatus Regiis, ſed egregiis,
Solâ quaſi conſtantiâ vicit.

Poſtquam Cardinalis ex ordine Regis copias coaceruauit expenſis ſuis, Galliam iubente Rege ingreditur, inuitis Ducis *Aurelianenſis* copiis, & intrepidus Andegauum petit, ibique Regi iunctus omnia proſpera habuit.

Spreta ſententia factioſorum, qua vitæ ſuæ maximum imminebat periculum, propter viles animas, quæſtu corrumpi faciles, omnibus rediens *Mazarinus* ſe liberè commiſit.

Nec aliundè tantæ diligentiæ pretium
Iuſque (in quæſitam laboribus Patriam) reuerſionis;
Quàm exquiſita noſtræ ſubuerſionis prouidentia, *Tribus hiſce de cauſis ad reditum mouetur Cardinalis.*
Pacis reiectio, Regis abiectio.
Vinciendos fortitudine credidit,
Qui manſuetudine non vincebantur,
Nec quieturos, niſi metuerent.
Quid reditum cauſantur inuidi, *Accuſatio in Mazarinum circa reditum refellitur.*
Quaſi nouæ ſeditionis cauſam?
Qui ſedati non ſunt, licèt ille ſeceſſerit.
Quid illum contemptorem Iuſtitiæ Regis contemptores?
Quid criminantur inimici? quid malè amici ominantur? *Aliquibus amicis viſus eſt præmaturè rediiſſe.*
Trepidauerunt timore vbi non erat timor. *Pſal.13.v.5.*
An ab ea ſola poſſibilia expectabant
Qui viribus ſuis illum metiebantur?
Habet Eccleſiæ Princeps & Regni Miniſter integerrimus,
Aliquid cum diuina mente ſecretum
Quo, non audenda audeat,
Facturus ea, quæ fieri non poſſe creduntur,
Vt partam ſolitis laboribus gloriam
Inſolitâ fortunâ cumulet.
Sed quid fortunæ partem damus?
Vbi Iuſtitia cauſæ, totum ſibi vendicat, *Rex Ludouicus XIV. Adeodatus.*
Totum, Regem vindicantis virtus;
Vt qui à Deo conſtitutus eſt, *Mazarinus Dei prouidentia in Miniſterio conſtitutus.*
Diuinis mediis reſtitueretur.

Principes, Hiſpanorum copias & Lotharingas ſuis iunxerunt, & hoſtibus ſociati ſunt in Regem.

Cardinali cùm ſe opponere non valerent
Exponere ſe, voluerunt Hiſpanis;
Et vt Regium Hoſpitem ſauciarent,
Cum Regis hoſtibus ſociari.
Sic, vt integrum poſſiderent regnum, lacerandum putarunt.
Violatæ relligionis crimen induiſſe creditum eſt,
Qui modeſtius Cardinalis vitæ indulſiſſent.
Sed heu miſeri Ciues!
Quas furentes fecerant maculas, ſanguine diluerunt.

Exterorum copiæ Prouinciam quæ dicitur *Francia* vaſtauerunt, Palatiáque circumornantia Lutetiam ſpoliarunt.

MAZARINVM vltus eſt Hiſpanus,
Qui feriit dum opem ferre ſimulauit,
Et verè inopes fecit, cùm ferus omnia abſtulit;
Dum enim illis diceretur, *Pax & ſecuritas*,
Tunc repentinus eis ſuperuenit interitus. 1.*Theſſ.*5.*v*.5.
Miſeros ſubditos, Rex miſeratus,
Ad hoſtes armatus,
Ad filios amantiſſimus pater acceſſit.

Rex adueniens fudit Lotharingum, cui cùm Mareſchallus *de Turenne* prælium aut exitum intimaſſet, exitum elegit & diſceſſit.

Ad tantum numen hoſtes extranei fuſi ſunt,
Ad tantum lumen, domeſtici confuſi,
Qui Romanum Patricium vt detruderent,
Tot illi ſuffectos Hiſpanos intruſerant,
Vt tota ſuffocaretur libertas.
Cùm autem velamen abſtulit ratio, quod paſſio intulerat,
Viſi ſunt Principes

Pariſienſes Ciues facti ſunt periculo ſuo cautiores.

Approbationis ſuæ erga MAZARINVM incurioſi immemores
Aut adminiſtrationis eius interpretes iniurioſi.

Tantus VNDE-DEI fauor?
Vt aliquorũ audaciã virtutis fulmine MAZARINVS vinceret,
Et malitiam cæterorum, lumine conuinceret veritatis?
Niſi quia diuinis, ſemper apud omnes fauit.
Qui ſemper in ſe-ipſo Deum fouet.
Vnde tam citò proſtrati inimici?
Vt dum pars illorum ad Regis aſpectum fugeret,
Ad Patris deſpecti clementiam cæteri confugerent?
Niſi quia ſuis militabat Deus,
Vt euerſionem ſuam, LVTETIA, conuerſione vitaret.

Alludit ad Abbatem *Ondedei* qui fidus *Mazarini* Achates, ſagaciſſimus in aſtutos, audaciſſimus in furentes, & Regiarum partium tenaciſſimus ſemper fuit.

Sed pertinax audacia aliquandiu Deo reſtitit.
Exercitum intra mœnia concluſit diſcordia,
Quæ cordis aditum, Dei monitis occluſerat:
In Regem Ipſum,
(Digni cæleſti fulmine) bellica miſerunt fulmina.
MAZARINVM pericula non mouerant, nec iniuriæ,
(Quia metum non nouerat, nec errorem;)
Inuenit tamen fortuna belli
Aliquem in fortiſſimo pectore, formidini locum,
Et quem, ſibi neſcium metuere, ſciuit,
Pro Rege ſuo trepidare fecit.
Nec enim amplius in Regis Miniſtrũ, viſi ſunt hoſtes furere,
Cùm Regem ipſum ferire tentarunt.
Talis eſt rebellionis cæcitas,
Vt cùm alterius famam, rodere ſimulat, ſeipſam prodat.

Exercitus Principum, & illorum auxiliatrices copiæ intra mœnia vrbis *Eſtampes* concluduntur.

Rex periclitatur inter maiorum bombardarum globos.

Mazarinus pro *Rege* timet.

Inter ferociſſimos etiam hoſtes, Regibus pro reuerentia parcitur.

Exercitus hoſtilis redit Lutetiam, & in porta dicta ſancti Antonij funditur.

Ad extremum ventum eſt, rediit, vnde orta fuerat ſeditio;
Niſi portas hoſtibus aperuiſſet LVTETIA
Pereuntes in portu vidiſſet.

In conflictu Mancinus vulneratur Regi dilectiſſimus.

Sed caram ſibi ſenſit Rex victoriam,
Cùm ſibi chariſſimum
MAZARINI nepotem MANCINVM
Vulneratum vidit.
Altiùs in animum Regis, quàm in MANCINI corpus
Vulnus deſcendit.

Mancinus moritur.

Glorioſam vitã, glorioſiore morte coronauit MANCINVS,

Auunculus pro Gallia militat, Ataui pro Galliæ partibus in Sicilia mortui ſunt.

Auunculum imitatus dũ viueret, & Atauos dum moreretur.
Fœlicem, credidit, CARDINALIS, defunctum,
Qui in iuuenili ætate, ſenis officio fungens,
In oculis & inter oſcula Regis occubuiſſet.

Rex acerbiſſimè defunctum luget.

Extinctum, inuidiâ dignum, non lachrymis ſubditorum,
Cuius tædæ, Regiis lachrimis extinguebantur.
Vnius, ex infinitis virtutibus ſuis,
(AVDENTIÆ)
Pœnè, noluiſſet MAZARINVS, Nepotem imitatorem;
Sed cùm ſibi non parceret inter haſtilia, hoſtiliaq; Auunculus,

** Mancinus fidelitati & generoſitati, Mazarinus conſtantiæ, Rex amicitiæ & gratitudini quod debebatur reddiderunt.*

Quomodo in exemplum intentus Nepos ſibi pepercifſet ?
Qui militantem MANCINVM vidit,
Qui mortui acerbum funus, Regem lachrimis nobilitantem,
Qui MAZARINVM, cuncta moderantem.
Vtroſque vidit propriæ virtuti reddere quod debebatur. *

Chariſſimum, vidit Rex, victorē pereũtem, quē deperibat,
Et victis inuidit.
Regē, vt conſolaretur, AVVNCVLVS, obliuiſci viſus eſt nepotē;
Tantóque magis in eo creuit amiſſionis vulnus
Quantò remiſſius lachrymis illud curauit.
Tantæ orbitati, CARDINALIS non ſuperfuiſſet,
Niſi, in Rege, cuncta ſua repoſita volens,
Primi mobilis motu raptus, naturalem fuiſſet oblitus.
Vnde, nec ei datum eſt ſuam ſatis intelligere orbitatem,
Qui, dum Galliam libertate orbari videret,
(Propriæ calamitatis immemor)
Exulandæ publicæ prouidebat:
Galliæ, olim, SICVLI MAZARINI, ſeſe ipſos immolarunt,
Nunc NEPOS.
Tunc illos Hiſpànus, quia Galli erant,
Nunc nepotem Auunculus, vt Gallus eſſet.
Sic ſuorum ſanguine, Gallis ſemper fœderatur, *
Dum eius inimici conciuium ſanguine fœdantur:
Fœlix MANCINVS,
Qui, dum non poneret animum,
In conſpectu Regis animam poſuit.
Fœlix MAZARINVS,
Qui, Martyr iuſtitiæ, Nepotem habuit Martyrem cauſæ.
Fœlix Gallia,
Quæ, charitatem extremam, in Eccleſiæ Principe inuenit,
Quam Regni Principes amiſerant.

Cardinalis in Rege omnia ſua reponit, famam, vitam, parentes, & fortunam, ita vt ipſi Rex factus ſit omnium loco.

Cùm Hiſpanus Veſperas Sicilianas celebraret, omnes *Mazarinos* Galliæ Sectatores quos potuit trucidauit, inter quos cecidit *Ioannes Mazarinus* Dominus de Cutron Regni Mareſchallus, quod idem eſt ac Comes ſtabuli in Francia.

* Fœdera ſanguine ſanciuntur.

Nemo maiorem charitatem habet, quàm vt animam ponat pro amicis ſuis. Ioan. 15. v. 13.

Sanior pars Parlamenti clàm exiit Lutetia, & Regem in vrbe *Pontoiſe* adiit, vbi verè, Parlamentum ſub Rege reſtitutum eſt, quo Pariſienſis Decreta annullabantur, & validabatur Regis voluntas.

Rebelles, cũ nõ poſſet ſanior pars Senatus, ſanitati reſtituere,

Deſtituit.

Amore Regis, optimi rapti, ſe iniquorũ ſeruituti ſubripuere,

Reuixit corpus capiti iunctum,

Quod ſine illo (niſi malis artibus) non viuebat.

Diuiſit Deus lucem à tenebris. *Geneſ.1.v.4.*

Rex Cardinalem, Iuſtitiæ tranquillæ, non perturbatæ dimiſit.

Conſtantia MAZARINI, tot improborum malis probata,

Innocentiæ probatio fuit;

Ordinato Parlamento viſus eſt innocens *Mazarinus.*

Faciléq; probis omnib⁹, omni exceptione maior probatus eſt,

Qui nec laudatus intumuit, nec timuit accuſatus.

Maioribus perfectionibus eminens,

Vbi maiores ſibi vidit imminentes perſecutiones.

Magna ſemper cum reuerentia de Duce *Aurelianenſi* locutus eſt, & ſcripſit *Mazarinus.*

Offenſus, aliquos etiam ſibi infenſos, veneratus eſt,

Sed nullos veritus.

Inimicorum artes fugere non potuit,

Sciuit frangere.

Qui, in abſentem irati fuerant, præſentem mirati ſunt;

Qui ſic in parcendo ſibi imperaret

Vt omnibus imperare mereretur.

Hoſtes priuatos ſciuit confundere, fundere Regios.

Obcæcatos illuminare, eliminare obſtinatos,

Externum obſeruare hoſtem, ne noceret,

Domeſticum ſeruare, vt aliquando noſceret ſeruatorem,

Et conuerſus diligeret quem neglexiſſet auerſus.

Viriles

Viriles in animos, inuidia, fabulas effuderat pueriles.

Inſurrexerant in illum teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Pſ. 26. v. 12.

Multiplex criminatio, duplici gladio debellanda fuit.

Virtute contemni,

Quia vincitur dum ſpernitur.

Veritate confundi,

Vt quam confuſio pepererat, confuſione periret.

Et certè plus difficultatis fuit

In capiendo, quod dixerat inuidia,

Quàm in refellendo, quod ad decipiendum malè dixerat.

Scripta calumniæ confuſiſſima.

Quid de Peculatu poſtulauerant inimici?

Quibus, in veritatis ſpeculo videre datum eſt,

MAZARINVM, in Miniſterio, vires animi exhauſiſſe,

Vt ex ærario exhauſto vires hoſtium frangeret.

Vtinam maximas congregaſſet diuitias?

Magnorum Regum illud iuſtitiæ fuiſſet,

Magni cauſa meriti.

Nec illas diſperſiſſent Reges, ſed depoſuiſſent;

Omnia enim quæ multis annis accumulauerat

Noſtræ quieti immolauit.

Nouoque generoſitatis & amoris miraculo

Acceptis, à Regibus, debitis beneficiis

Regem ſibi debitorem fecit regni,

Dum quod natura dederat virtute firmauit.

Sicque Regi regnóque ſeruiit, vt vtrumque ſeruarit.

De Peculatu poſtulabatur.

Reſponſio.

Peculium proprium & omnes amicorum facultates exhauſit, vt Regi copias couſlaret.

D

Quid alienigena eſſet & ideo incapax Miniſterij.

Cardinalem quid cauſantur exterum?
Qui in Paterni erga nos amoris omen,
Regi in baptiſmate Patris loco fuit, cùm nomen dedit.
Cuius Ataui,
In Hiſtoriæ monumētis, ſe proprio ſanguine Gallos ſcripsēre
Diſcant ab Hiſpanis ſi Gallus eſt?
Qui dum Galli ad Hiſpanos deficiunt,
Lethali conficit Hiſpanos vulnere, vt nos reficiat.
An virtus extranea eſt, vbi Regnat?
An non erit in Gallia, Gallus?
Qui hæreditario iure, ibi Gallus fuit, vbi licuit.
Quid Regem, Dei imaginē aſſerentes, Dei more loqui vetāt?

Pſal. 59. v. 10.

Alienigenæ mihi ſubditi ſunt;
Sed nec erit alienigena, Princeps Eccleſiæ
Vbi Eccleſia regnat.
An non ex ſanguine nobilitas venit?
At illi, Gallica ſua nobilitas, parentum ſanguine vænijt.
Aut Religionem obſeruent in purpura,
Aut ſeruent in Hiſtoria fidem.
Inter fluctuantis ſententiæ motus,

Sententia lata in Ancreum memoriam non appoſitè profertur in Mazarinum.

Debilis eſt anchora ANCRÆVS,
Qui reus mortis dictus eſt, cùm mortuus eſſet.
Satis in illo delicti fuit, cùm à Rege derelictus eſt.
Illum non tulit Iuſtitia, cùm à Rege credidit ſublatum.
Extraneus & reus eſt, quem Rex Iuſtus odit,
Sed Gallus & Innocens, quem amat.

Ex pace non conclamata quid exclamarunt?
Relligioni detrahentes & rationi.
Quid torquentur?
Vt in Hiſpanorum hoſtem, Hiſpanicas fraudes retorqueant?
Quis niſi ſtolidus
Pacem à ſubdolis hoſtibus expectauit ſolidam?
Quis niſi inſanus, Hiſpanis fidat?
Qui leges quas ſanxierant, ſemper ſubſannarunt.
Pacificos ſimulantes, vt nos ſui criminis inſimularent.
Et ſub fœderũ pacis nomine, foueam confœderatis foderent.

Cauſabantur illum infectæ pacis reum.

Differri poterat bellum, non auferri;
Nec enim ceſſiſſet pro tempore Hiſpania
Niſi vt Galliam ex tempore ſuccendere poſſet.
Quid Legatorum ablegant fidem?
Quibus manifeſtum fuit,
Hiſpanicum faſtum pacem oſtentaſſe
Vt acrius bellum intentaret.
Sopiri potuit, non extingui.
Superbus humiliatus, ſimulatus eſt,
Nec ponit odium, cùm vultum componit.
Hiſpanos cùm non lateat
Lætiorem ſanitatem, morbi confinio lædi;
Spes illos quaſi certa manſit
Galliam ſub palmarum ſuarum onere deprimendam,
Et iiſdem, quibus vicerat lacertis lacerandam eſſe.

Primus ad pacem Legatus Dux *Longauillæus*, licèt de *Mazarino* conquereretur, Iuſtitiæ illi debitæ non defuit, cùm ad ſolos Hiſpanos infectæ pacis crimen tranſtulit.
Sic *Contarenus* Legatus Venetus rem geſtam publicis ſcriptis Senatui Veneto dedit, cùm rediret, quod confirmauit cùm vltimum obiret diem.

Multi Miniſtrorum Regis Hiſpaniæ publicarunt breui Galliam factione ſubuertendam.

Declaratur *Mazarinus* Innocens à Parlamento, & abſoluitur ab accuſationibus.

MAZARINI partes egêre,
Innocentia, Veritas, Regni fœlicitas;
Illa militans, hæc vincens, iſta triumphans.
Quod aſtutia ſuggeſſerat, patrauerat furor,

Procurator Generalis & Abbas *Fouquet* fratres.

Duorum fratrum, Vnus, apud iudices Regis nomine deiecit
Cùm reparandum curauit.
Alter, apud omnes ſic Regio more laborauit
Vt Regi MAZARINOq; omnia ſubiecerit.

Die 16. menſis Iulij anni 1652. congregatis Comitiis in æde publica Pariſienſi, ab incendiariis combuſta eſt ædes, & igne & ferro multi ciuium periêre.

Amor intereà populi in Regem, cùm creſceret,
Creuit in populi Ducibus, timor.
Cùm, cæde publica, ciues omnes cadere non poſſent,
Quot ædes publica, capere poterat,
Incendio conſumere tentarunt;
Vt ſeditionis Ignes, vltionis ignibus conſummarent.
Efferatus eſt populus non ſuperatus.

Princeps (*Condeus*) fugit ad Hiſpanos, & faſciam (ſeu inſigne quod Galli vocant *Eſcharpe*) Hiſpanorum affectat, vt Hiſpanus affectu videatur, ſed tantò interiùs eos odit, quantò exterius ſe componit, qui natus eſt vt illis imperet, non vt ſeruiat.

Sed heu! ſuam infœlix Princeps ruinam
Præceps & deſperatus parat.
Fœlicitatem propriam, extraneis miſeriis commutauit,
Dum ſigna mutaret,
Vt, ex honoratiſſimo victoris Hiſpanorum ſolio,
Inhonoram vincti ſeruitutem conſequeretur.
Et vt faſces MAZARINI, belli facibus incenderet
Non erubuit inter illos rubra micare faſcia.
Quorum toties ſanguine dimicans rubuerat.

Altiùs ad Regem ſuſpirauit LVTETIA, cùm reſpirauit. Delegatio Conſularis fit ad Regem.
MAZARINVM compulit vt rediret quæ expelli cupierat.

Neſcire voluit MAZARINVS, quæ noluit punire; Peroratur *Mazarinus* vt Regem reducat *Luteſiam.*
Gloriam potiùs, ex hoſte quàm ex Ciue quærens.
Famæque ſuæ, ſatis addere putauit,
Si Regem LVTETIÆ, Regem reducit.
Regno pacem redderet.

Rex de ſuis triumphum agere noluit,
De ſe-Ipſo egit.
Iniuriarum immemor,
Meminit ſe Patrem, cùm Dominum ſenſit. Amniſtia vniuerſalis conceditur.
Iras, in proſpera (quod diuinum eſt) fortuna
Quâ ſumpſerat magnanimitate, amiſit,
Cùm nullus admiſit amplius, quæ dimiſſa fuerant.

In priſtinam reſtituta libertatem LVTETIA
Cæteras in regni partes tranquillitatem diffudit.
Miniſtro reduci Conſules, publicas epulas pararunt,
Vt Vrbis nomine præteritas iniurias repararent.
Miniſterium percuſſum, concuſſione firmatum eſt.
Regem amant Galli, venerantur Reginam,
MAZARINVM admirantur;
Qui ſemper ſibi conſtans;
Quantùm in proſperis ſapientiâ,
Tantùm patientiâ valuit in aduerſis.

Nullum labori, ſicut nec virtuti, terminum poſuit,
Quia nec mentis actio fatigatur,
Nec ingenij circumſcribitur vaſtitas,
Nec iudicij perſpicacitas ſeducitur.
Ita rebus addictus ſingulis, vt ſi non omnibus,
Ita omnibus, vt ſi non ſingulis.
Ipſos hoſtes, aut ſtimulis beneficiorum coëgit,
Aut diſſimulans, ineffabili affabilitate ſubegit.
Cùm omnia poſſit arbitrio ſuo metiri,
Primam non eſt manſuetudinem mentitus;
Sed inſolita virtus, malis ſuſpecta eſt,
Et quia illam non capiunt, ab illa decipi timent.
Licèt virtute maior ſit MAZARINVS quàm authoritate,
Habuit enim habetque
Vnde in hoſtes vlciſcatur, & abſtinet,
Vt qua bonitate peccare primùm viſus eſt,
Tandem triumphet.

Omnes bonos cùm velit, omnibus ſe fecit meliorem,
Nec aliorum diſpendio, laudem quæſiit ſuam
Qui nocentes etiam ipſos, à quibus tot damna paſſus eſt,
Non paſſus eſt damnari.
Virtutibus etiam proprijs detraxit,
Ne ex aliorum vitiis, famam trahere videretur
Laudum ſimul & iniuriarum contemptor.
SED LAVDANDVS EST INVITVS ET INVICTVS.

N. CHARPY A SANCTA CRVCE.

31

PARISIIS,

IN TYPOGRAPHIA REGIA,

CVRANTE SEBASTIANO CRAMOISY,

Regis ac Reginæ Architypographo.

M. DC. LVIII.

2 1018
14

99 956068

MC